



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CXXXV. Die Markgrafen von Brandenburg, Otto und Albert, verpflichten
sich den Herzog Johann von Braunschweig zum Beistande zu ihrer
Kriegsführung gegen die Herren von Wenden und gegen die Grafen von ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

nibus presentibus et futuris, Quod, nos ob reuerentiam Dei omnipotentis, ecclesie sancte Marie virginis gloriose in Stetin et preposito, decano totique capitulo ecclesie eiusdem, quam dilectus gener noster, dominus Barnim, Dux Slauorum, de nouo instituit et fundauit, et ipsius ecclesie fundationem et canonicorum in eadem institutionem ratas et gratas habentes, proprietatem villarum Wameliz et Brunneke et jus patronatus ecclesiarum parrochialium cum appendiciis earundem, opidorum scilicet Gardiz et Pincun, de mera voluntate, libero arbitrio et vnanimi de consensu, dedimus et donauimus, vt nos proinde orationum ibidem die noctuque Deo famulantium participes esse mereamur et ut eo facilius valeamus impetrare clementiam saluatoris. Vt autem he nostre donationes in perpetuum firme et inuiolabiles perseuerent, presens scriptum super hiis confectum ipsi ecclesie, preposito, decano et capitulo prelibatis dedimus, in testimonium validum et irrefragibile munimentum sigillorum nostrorum munitionibus roboratum, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina pro firmitate majori duximus exprimenda. Venerabilis pater dominus Hermannus, Caminenlis ecclesie episcopus, Comes Henricus de Kerkberg, Anselmus de Blankenborg, Bertramus de Bensch, Conradus Ditsch, Albertus de Kocstede, Gobelinus, Johannes de Brelyn, Lippoldus Vrfus, Fredericus de Hyndenborg et alii quam plures. Datum Gyrswalde, per manum Franconis notarii, anno domini M^o. CC^o. LXIX^o., pridie idus Januarii.

Nach dem Original-Abdrucke in von Dreger's Cod. dipl. Pom. I, 544, 545.

CXXXV. Die Markgrafen von Brandenburg, Otto und Albert, verpflichten sich den Herzog Johann von Braunschweig zum Beistande zu ihrer Kriegsführung gegen die Herren von Wenden und gegen die Grafen von Schwerin, am 5. März 1269.

Nos otto et albertus, dei gracia Brandenburgenses Marchiones, Recognoscimus per presentes, quod cum Illustri principe auunculo nostro domino Johanne, duce de Brunfwich, presentibus venerabili domino Conrado, Magdeburgensi archiepiscopo, ac Illustri principe auunculo nostro, domino alberto, Duce de brunfwich, placitauimus in hunc modum, quod scilicet predictus auunculus noster Johannes nobis in presenti guerra contra dominos Slaue nec non Comites zwerinenses prestabit auxilium et omnes ipsorum adiutores, qui nunc fuerint uel processu temporis forsitan erunt. Quando-cunque autem idem auunculus noster a nobis, ut eidem dominis dedicat, fuerit requisitus, ad hoc debet esse expositus et paratus. Nos uero per eundem nuncium, per quem dedicandum eidem intimauerimus, quingentas marcas puri argenti ipsa vice in parata pecunia persoluimus. Deinde per decem et octo septimanas quingentas marcas dabimus eidem et sic successiue semper per decem et octo septimanas dabimus quingentas marcas argenti puri, donec summam duorum milium integraliter persoluamus. Ceterum quodocunque dictam pecuniam terminis non soluerimus prelibatis, intrabunt nobilis dominus Lutardus de Meynersem fe-

nior, ministeriales Johannes dictus Balch, Rodolfus de Boyfter, Vlricus de Cruge, Geuehardus de Aluenfleue, Johannes Gans, Gerardus Wolf, arnoldus de Jagowe quilibet in loco sibi prefixo. Hoc tamen excepto, quod prima quingentas marcas sine introitu perfoluimus. Item si ex predictis fideiussoribus aliquem decedere contingeret, alium sicut condictum est debemus substituere loco sui. Preterea promissimus fide data, ut cum Treuge inter dominos flauie et nos nunc durantes expirauerint, nec prefatus auunculus noster nec nos, neuter nostrum sine altero acceptabit cum sepedictis dominis omnibus aut cum aliquo ipsorum compositionem facere siue pacem, nisi fiat de pari consilio et consensu. Datum anno domini M^o. CC^o. LX^o. IX^o., feria tertia proxima post ietare.

Nach dem im K. Landes-Archive zu Hannover befindlichen Original.

CXXXVI. Herzog Mastwin von Pommern trägt den Markgrafen Johann, Otto und Konrad von Brandenburg alle seine eigenthümlichen Güter zu Lehn auf, und empfängt diese, außer dem Schlosse und Lande Belgart, von ihnen wieder zurück, am 1. April 1269.

In nomine domini amen. Mastwinus, dei gratia dux pomeranorum, omnibus presentes nostras literas inspecturis salutem in omnium saluatore. Que aguntur a nobis, ne a memoriis hominum, que res fragilis est, excidant et euanescant, conseruimus nostris scriptis authenticis roborari: nam fidele testimonium dat scriptura, interuentibus enim hominibus non sunt ea, que sibi commendantur, aliquatenus interire. Hinc est, quod notum esse volumus uniuersis, quod cum dominis nostris, Illustribus principibus, Johanne, Ottone et C., Brandenburgensibus marchionibus, amicabiliter et concorditer conuenimus in hunc modum, Quod filiam nostram viro matrimonialiter copulauerunt, cui mille marcas examinati argenti superaddemus, maritus vero centum marcas eidem nomine dotis assignabit annuo excipiendas vite sue temporibus feliciter et quiete. In signum vero beneficii et dilectionis exhibite nobis et unionis indissolubilis, cum dictis dominis nostris marchionibus contracte, de mera nostra voluntate et motu proprio et consensu, omnia bona nostra et proprietatem omnium bonorum nostrorum Dominis nostris marchionibus antedictis renunciauimus et recepimus ab eisdem ipsa bona in feodum, omagium ipsis prout iustum est exhibendo. Dicta etiam bona uxori nostre et pueris nostris suis patentibus literis iusto titulo feodi transmiserunt perpetuo possidenda, preter castrum belgart cum terra adiacente et omnibus suis pertinentiis, quod ad usus suos sibi libere reseruabunt. In cuius restaurum dicti domini marchiones nobis et uxori nostre et pueris nostris centum marcas stendaliensis argenti conferent in feodum annuo excipiendas vel centum choros duri frumenti, tritici XXX. choros, filiginis XL, ordeii XXX. iusto tytulo feodi possidendos, Et si dictum frumentum in terra ipsorum duxerimus acceptandum, omnia feodalia in ipsis bonis et hominibus vel beneficiis ecclesiasticis conferendis libere nobis cedent, impedimento quolibet et contradictione postposita et remota. Preterea dictis dominis nostris marchionibus fideliter in omnibus astabimus indefesse, assistentes eisdem in